

## ALANUS

## ANTISSIODORENSIS EPISCOPUS

## NOTITIA

*(Gallia Christiana nova, tom. XII, col. 293)*

Defuncto Hugone episcopo, nepos ejus summum pontificem appellavit ne alius patrum in locum eligeretur priusquam isset ipse Romam et redisset præposituræ confirmationem impetraturus. Verum eo contempto presbyteri undecim novemque diaconi præter alios inferioris ordinis in unum convenere, quem ut summo pontifici probarent, decanum S. Petri et priorem S. Eusebii tam pro se quam pro abbate S. Laurentii destinaverunt, quos pars adversa per comitem Nivernensem deterruit ne proficiscerentur. Tertia enim post primam electionem die, Hugonis idem nepos, propria ipse neglecta appellatione alteram instituit electionem, cujus auctores fuere cantor, archidiaconus et thesaurarius Ecclesiæ, et presbyteris unus Hugo frater Fr. Gaufridi, quem electum conjectant, qui sigillum Ecclesiæ tenebat, et e diaconis solus Stephanus, ut scilicet uno nominato duo ejicerentur, et sic tertius quem volebant sufficeretur. Quibus acceptis Eugenius III tribus, quorum unus erat S. Bernardus, totum id negotium commisit, quibus subiecit quem a S. Bernardo indicatum promoveri volebat, abbatem, ut videtur, Rigniacensem. Bernardi quidem et alterius in unum convenere suffragia quem indicaverat Eugenius, altero reclamante et secretum summi pontificis prodente: unde sanctus Bernardus ab Eugenio papa postulavit (epist. 280) suppleri quod minus erat. Restauratis igitur comitiis, quibus interfuit S. Bernardus (ex epist. 282), clerici qui prius in partes dissilierant, concordantes in Alanum abbatem Ripatorii convenere pridie Kalendas Dec. 1152. Huic autem cui statim adversatus Ludovicus VII rex a quo obtentus non fuerat assensus, brevi a S. Bernardo mitigatus videtur; nam Alanus eodem anno testis fuit donatarum monasterio Arremarensi a Godefrido episcopo Lingonensi ecclesiarum. Insequenti testis fuit iudicii a Ludovico VII in gratiam

A Godefridi ejusdem latæ adversus Odonem Burgundia ducem. Anno 1154 Anastasius IV bulla Alano data jus confirmavit in abbatem S. Germani. Delegatus ab eodem pontifice conciliavit Senonis, anno eodem, monachos de Charitate et canonicos de Castro Rainardi, dissidentes de præbenda a monachis percipienda in ecclesia canonicorum.

B Circa id tempus cum Theobaldo Parisiensi episcopo a papa iudex constitutus est accusationum in abbatem Latiniacensem laterum. Interfuit anno 1156 detectioni et expositioni tunice Jesu Christi apud Argentorium. Solemnes apud Vizeliacum ordines ab abbate invitatus celebravit 10 Martii 1156. Guillelmus comes Antissiodorensis anno 1157 ex formula clientelari apud eum professus est, et convenit de justitia Conadæ et aliis capitibus. Eodem anno Alanus Pontiniacenses exemit a censu quem solvere tenebantur monachis de Cella. Jus vacantis annonæ canonicæ regularibus Sancti Eusebii canonicis ab Humbaldo decessore concessum ex sententia capituli, ratum habuit an. 1159, quod apostolica sancivere auctoritate Alexander III et Adrianus IV. Revelationi reliquiarum S. Genovefæ astitit Parisiis 10 Jan. 1161. Insequenti Alexandrum III apud Montepessulanum convenit, et cum eo in Octavianum schismaticum excommunicationis sententiam tulit. Bullam ab eo obtinuit quam post Samaritanos recudimus in appendice (1), ut duelli loco testes, instrumenta, aliasque adhiberet probationes. Sed bulla fallit vel in loco ubi data legitur, vel in anno pontificatus. In Galliis enim adhuc versabatur Alexander anno IV. Præmonstratensibus S. Mariani canonicis largitiones a prædecessore Hugone factas cum ecclesiæ Tangiacensis auctario confectis tabulis approbavit anno 1163. Sancti Amatoris prioratum eodem anno Sancti Satyri Bituricensis monasterio univit, et cum Hugone Senonensi

(1) Vide *Patrologiæ* t. CC in Alexandro III.

præsente dissidentes Wilencum Molismi abbatem et Heribertum de Meriaco arbiter in concordiam reduxit. Anno 1164 Guillelmum comitem quem infensissimum patiebatur tunc temporis regi ob infestationes quibus in Vizeliacenses grassabatur in visum placavit. Eodem anno cum controversia quæ olim fuerat inter Hugonem et Willelmum comitem Nivernensem recruduisset, eam composuit de mandato summi pontificis Godefridus quondam Lingonensis episcopus, tum privatam vitam apud Claramvallem ducens, statuitque ut quæ inter Hugonem episcopum et comitem sanctæ memoriæ Bernardus Clarevalensis abbas quondam composuerat inviolabiliter observarentur. Eodem adhuc anno monachis Donziaci confirmavit ecclesias de Pogniaco et de Boiaco. Ascelinum abbatem Rigniæ exemit anno 1165 a solvendis monasterii sui decimis in diœcesi Antissiodorensi. Exstinctam cathedralis ecclesiæ præposituram, sed jam toties redivivam novo diplomate

sepelivit, et ejus jura ac proventus canonicis concessit anno 1166. Insequenti renuntiata dignitate in manibus archiepiscopi Senonensis absque licentia summi pontificis qui inde conquestus est, solitudinis avidus, pontificatus adepti xiv, Ripatorium accessit, ubi testamentum condidit anno 1182; illud habes apud Carnusatum et in appendice nostra. Superstes adhuc anno 1183 monachos de Ripatorio cum Arremarensibus dissidentes conciliavit, quin anno 1185 subscripsit chartæ Petri comitis pro monachis Boni Radii. Demum Claramvallem repetiit, ubi sanctissime decessit pridie Idus Oct. in ipsa S. Bernardi cellula, quam post Godefridi Lingonensis episcopi obitum inhabitandam susceperat. Eiusdem Godefridi ad dexteram jacet versus chorum monachorum. Præter aliquot Alani epistolæ epitome ab illo Vita S. Bernardi conscripta exstat typis impressa.

## ALANI ANTISSIODORENSIS EPISCOPI

### EPISTOLÆ QUINQUE

AD LUDOVICUM JUNIOREM FRANCORUM REGEM,

Ut Ecclesiam Antissiodorensis contra vexationes comitis Nivernensis (2) tueatur.

Circa annum 1164.

(Duchesne, *Rerum Francicarum Scriptores*, IV, 642.)

#### EPISTOLA PRIMA.

Charissimo domino suo Ludovico magnifico regi Francorum, A. Antissiodorensis dictus episcopus salutem et devotum pro omnia servitium.

Non miretur regia majestas quod, superveniente necessitate, aures vestræ magnificentiæ toties inquietamus, toties crebris infestationibus agitati, sub umbra alarum vestrarum fugere compellimur. Adhuc enim manus comitis extenta, nec avertit indignationem suam ab Ecclesia. Tendit arcum suum adhuc spirans minarum, omnia pro voluntate quærens disponere, omnia subjicere sub pedibus suis. Verum alii circumquaque vicini, ejus exemplo ducti, non dicam ad hoc ab eo inducti, sed ejus gratiæ obtentu et amoris occasione inventa calumnias movent. Plura de casamento suo esse contendunt, quibus quoniam non pro voluntate sua satisfacimus, cuncta diripere, et cum jam multa rapuerint, majora inferre de die in diem minantur. Cum autem non sit qui audeat se murum pro domo Dei opponere, nec sit qui adjuvet nisi dominus meus

C rex, rogamus magnificentiam vestram, de qua non minimum adjutorii speramus, cui de facili est cunctis silentium imperare, ut aliquem de vestris nobis transmittatis, qui Varziacum et Apogniacum, aliamque terram nostram custodiat et tueatur. Comes enim nondum fidelitatem mihi fecit, sed nec facturum se promittit. Et nisi Dominus qui impetrat ventis et mari nolis manum adjutorii sui porrexerit, plures nobis inferri molestias in futurum speramus.

#### EPISTOLA II.

Charissimo domino suo Ludovico, magnifico regi Francorum, A. Antissiodorensis dictus episcopus salutem et devotum servitium.

Frequenter annuntiatum est celsitudini vestræ de vexatione qua comes Nivernensis ecclesiam Sancti Stephani Antissiodorensis aliasque Ecclesias ad D eam pertinentes affligit, et vehementer opprimit; et credo quia compatimini. Qualiter autem ego et ipse ante dominum papam convenerimus, quid vero ibi actum fuerit, quo modo etiam comes se ibi ha-

(2) Guillelmi IV.